



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbatvm Cisterciensivm regni Angliae ad Papam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

apostolicam destinandos sedis ipsius consilium super hoc expetere & expectare, Archiepiscopo id consilio Domini Patris committente, ut in ejus esset dispositione sub quibus cautionibus, manente capella, Cantuariensis Ecclesiae provideretur indempnitati. Nuntiorum autem predicatorum iter duo de monachis Cantuariensis prævenientes, preter conscientiam vel Archiepiscopi vel Prioris & Conventus, sicut idem Conventus in Capitulo super hoc requisitus viva voce protestatus est, à claustrorum clanculo recedentes, & ob hoc ab Archiepiscopo non immerito secundum regularem disciplinam sententia sunt excommunicationis innodati; qui tacita veritate vel egressus eorum vel sententiae quam justè super hoc exceperant, iidem eorum quæ suprà meminimus litteras prædictas ad ipsum Archiepiscopum & nos impetraverunt. His rationibus cùm universitati nostræ videtur esse juri consentaneum vestræque paternitati placitum litterarum executioni supersederi, donec super rei veritate vestra instrueretur religio; dictus etiam Archiepiscopus, ne quid mansuetudinis & humilitatis omitteret, ex abundanti tam per se quam per nos instanter obtulit ut de electis quos monachi Cantuarienses vellent Episcopis vel cuiuscunque ordinis viris religiosis de omnibus quæ præcesserant, & de hujus mandati executione acceleranda vel differenda, eorum pareret arbitrio. Monachis autem hæc voluntariè magis quam justè recusantibus, præmissis moti rationibus ipsum Archiepiscopum ad hoc induximus, ut ipso interim subsidente, de solita sedis apostolicæ clementia confidentes, totum negotium ad vestram excellentiam referremus; supplicantes attentiùs ut ita super hoc vestra disponat prudentia, ne inter regnum & sacerdotium in Anglia jam orta diffensio invalescat. Turbati sunt enim vehementer ex hoc mandato Rex & regni magnates, eò quod jure canonico videatur licitum, & haec tenus consuetudine Anglicana obtentum, ut tam Archiepiscopi, quam Episcopi, quam etiam laici, auctoritate diocesani Episcopi possint Ecclesiam conventualem in suo construere fundo. Vos igitur, Pater in Christo carissime, quod super

hoc expedire videritis, veritate cognita disponatis, scituri profectò quia quod statueritis Dominus Archiepiscopus & nos debito & devoto execuēmur affectu. Quod si sanctitati vestrae testimoniū nostrum videatur minus sufficere ad fidem, placeat vobis pleniorē hujus veritatis inquisitionem aliis quos elegeritis demandare, quorum relatione vestra sublimitas edocta, quod altissimo magis placere noverit, diffiniendo decernat.

*ABBATVM CISTERCIENSIVM
regni Anglie ad Papam.*

REverendo Domino & Patri Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, suæ sanctitatis filij & servi devotissimi, E. Rievallis, R. de Boxeleia, I. de Forda, B. de Straford, W. de Ponte Roberti, H. de Stanlege, & W. de Basinguvas Abbates, totusque Cisterciensium Abbatum de Anglia Conventus, salutem debitam, cum humili subjectione, reverentiam & obedientiam. Cùm sacrosancta Romana Ecclesia, cui Domino disponente præfatis, mater sit omnium Ecclesiarum in Christo, in multiplicandis eis, entriendis, ac defendendis materna caritate atque sedulitate uti consuevit, & sic de adulta jam sobole gratulari, ut novam quotidie procurare non desinat. Quod si in tot filiis ejus duo aliqui se in utero ipsius aliquando collidunt, materna gravitate atque prudentia litem hanc dirimere novit, & in id ipsum reducere dissidentes, ne & ipsi ab invicem consumantur, & ipsa utroque orbetur filio una die. Hinc est quod pro beati Thoma martyris Ecclesia, quæ ac si recentis purpura totam vestit & ornat Ecclesiam Dei, quanta possumus gematum ac precum profusione paterna viscera pulsamus, ut convertamini aliquatenus, & clementius aliquid cogitatis super eam. Securis enim apostolica jam ad radicem plantationis hujus novellæ, quod gementes dicimus, posita est. Sed si terram non occupat, si fructum facit, si denique fructum plurimum, securim vestram vel ad modicum suspendi humiliter supplicamus. Sanè non sine nutu divinæ dispensationis beatus martyr in loco nativitatis suæ memoriam sibi elegisse videtur, præ-

Epiſt. 18.
De codicis
gumento.

sertim cùm diffinitione Regum ac Principum , cum consilio Episcoporum ac totius Cleri , cum denique exultatione universæ terræ fundata , ipsorum etiam monachorum Cantuariensium , quæcumque ipsi vestræ majestati suggesterint , solennem in audience publica gratiam & afferentem meruerit . Denique si monachis illis contra Prælatum suum talam tantumque Prælatum ad tam pium opus demoliendum res ad vota cesserit , numquid nos deinceps tam perniciosi virus exempli omnem cœtum Religiosorum inficer , & cornua increcent omnibus inobedientiæ filii , ut levi occasione insurgant & impingant in parentes suos ? Omnis iam domus rupto pacis & obedientiæ vinculo desolabitur ; & ubi tanti auctoritas mali convaluerit , unusquisque vorabit carnem brachij sui . Quidque ad loci hujus venerationem cum beati martyris illustri gloria præclara sui merita fundatoris accedunt , qui de nostro grege ad tanti officij cultum assumptus , magni illius mensuram gradus , ut mundus testis est , glorificè adimplevit , & in priori nihilominus humilitate & in multa omnium admiratione perseveravit . Et vir quidem ille , & vita venerabilis , & doctrina incomparabilis , & signis illustris , omnibus inter se & monachos suos illos solenniter consopitis , peragè consummatus est , Christianæ fidei pie-tati tam pretiosa morte quam vita eximia testimonium reddens . Non moveat , quæsumus , sanctitatem vestram litorum , nec post fata quiescens , quibus ignoscat Deus ; quod quem vivum inexorabiliter sunt persecuti , & veteres post mortem inimicitias in operum ejus reliquiis demoliendis dissimulare non possunt . Reverendo proinde successori ejus Domino nostro nunc Cantuariensi Archiepiscopo , contra quem præfati monachi suum levavere calceum , etiamsi ora humana tacuerint , opera ejus testimonium perhibent de illo , cùm luceant prorsus omnibus qui in domo sunt . In viis ambulat glorio-forum prædecessorum suorum ; qui , si veteres & novi revoluuntur annales , similia à suis monachis perculisse inventientur . Iudicem eum esse incorruptissimum personarum prorsus & munerum acceptione deducta nemo est in regno

Anglicano qui dubitet . Benedictio proinde parvorum pauperum , pusillo-rum , ac viduarum super eum continua ac copiosa descendit . Religiosi omnes non dominum eum vel judicem , sed patrem inveniunt & advocatum . In camera ejus non solum ad colloquium sed passim & indifferenter ad hospitij gratiam suscipit eos . De conscientia denique bona constans ei atque fidele testimonium perhibemus , quia ipse est unica ac potentissima Ecclesiæ Anglicane columna . Qui sicut in omnibus causis suis , ita & in hac tantam exhibuit patientiam , lenitatem , atque modestiam , quanta nec nos scripto ad praesens concipere possumus , & illi vobis pleniū poterunt enarrare qui à latere ejus ad vos missi , oread os vobis loqui merebuntur . Sed de patientia ejus illi semper ad impatientiam crescunt ; & lenitate ejus atque modestia abutentes , contumaciores atque immittiores efficiuntur in dies . Cadat ergo in conspectu vestro universitatis nostræ humilis supplicatio , ut respondeat ei hodie ante tribunal vestrum justitia sua , cui tot & tanta merita sua & gloria beati martyris pia æmulatio & totius Angliae communia vota suffragantur . Vnum est quod precibus nostris adicimus , ut si nos in commendatione unius alteriusve personæ timore seu gratia excessisse timetis , consulere dignemini testimonium universæ terræ , & eos , si placet , praecipue qui de nigro sunt ordine , cùm in his utique non debeant esse de jure suspecti ; & invenietis nos servos vestros fideles in omnibus partibus parcivs fuisse locutos . Valeat in Domino sancta paternitas vestra .

*MONACHORVM ECCLESIAE
Cantuariensis ad Papam.*

Innocentio Dei gratia Summo Pontifici Conventus Cantuariensis Ecclesiæ salutem . Multa & diversa immo & quadam fibi adversa sanctitati vestrae quandoque significamus ; quia talia sunt quæ nos premunt . Sed in hoc confundimur , quod ea quæ verè fiunt & non scribuntur , dum loquimur , dum auditis , fortè in contrarium mutata sunt . adeo non simpliciter operantur qui nos afflidunt , ut vel ita apud vos de men-

Epiſt. 181.
Exponunt af-
flictiones tuas.
Huic epistola ref-
pondet Pontifer
epistola 436.

Tt iij